

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3041

Auteur(s) : Hugues de Turberville, chevalier, Îles Anglo-Normandes (bailli)

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1270, 20 septembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre de Hugues de Turberville (SCRIPTA 3037) pour mettre fin au procès entre l'abbé du Mont St Michel et Felicia, veuve de Guillaume de Cheney. Arbitres nommés.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 111, p. 178-180.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris Hugo de Turbevilla miles ballivus domini Edd. illustr. Regis Angl. primogeniti salutem in Domino. Noveritis quod cum causa seu contencio vel querela mota esset diu est inter virum bone memorie Ricardum abbatem quondam Montis Sancti Michaelis in periculo maris ejusdemque loci conventum et dominum Guillelmum de Chaaneyo militem defunctum necnon et postmodum pendente causa inter fratrem Nicholaum abbatem successive dicti loci et conventum predictum dictumque militem ipsisque Nicholao et milite viam universe carnis ingressis, inter virum religiosum Nicholaum nunc abbatem dicti montis et conventum ejusdem loci ex una parte et dominam Feliciam relictam dicti militis ex altera secundum erramenta dicte querele precedencia per ajornamentum factum [suffic.] videlicet ratione [quorudam] reddituum et exituum quos in [insul Guener] emit dictus miles tempore quo vivebat in dominio [Sci] Michaelis ad que retrahenda et habenda dicti Religiosi dicebant et adhuc dicunt se esse propinquiores asserentes se habere ad [h raones] efficaces cum redditus et exitus ratione quorum agitur inter partes possideat et habeat a tempore facti contractus et postquam dictus miles decessit et presertim cum precium quod dictus contractus constitit solvere sint parati et ad [h] se offerant levationibus dicti mercati interim perceptis eis secundum patrie consuetudinem allocatis tandem videlicet anno Domini m° cc° septuagesimo die sabbati post exaltationem sancte crucis apud Sanctum Petrum in portu partibus comparentibus in iudicio coram nobis dicto abbate nunc dictaque [dna] personaliter pro se dictoque conventu per fratrem Petrum Bernardi priorem de Lihou attornatum eorum per litteras cum pars dictorum religiosorum recitaret contra dictam dominam presentem in iudicio quod ipsa antea citata fuerat per servientem [suffic] contra dictos religiosos ad respondendum eis [secundu] erramenta dicte querele mote ad certam diem competentem ipsaque ad [h] deficiente nec se excusante nec pro se mittente mandatum fuerit ex parte nostra eam justiciari et citari vel ajornari. Iterum ad premissa secundum erramenta dicte cause eis responsuram ad aliam diem [suffic] assignatam per iudicium xij juratorum [Guener] ad quam diem similiter non comparuit per se vel per alium nec se excusari fecit et ita duos defectus fecisset post ajornamentum in dicta querela post multas altercationes fuit coram nobis de consilio proborum actum expresse hinc et inde ordinatum et concordatum bona fide sub spe pacis reformande inter partes quod unaquaque pars dictorum religiosorum ejusdemque domine duos de amicis suis quos maluerit et sibi viderit

expedire tenetur capere et eligere infra diem jovis instantem ante Letare Jerusalem et in eos consentire tanquam in [arbitr] vel amicabile compositores ad reducendum partes ad concordiam et pacem de predictis secundum patrie consuetudinem diucius approbatam utrique parti ejus rationibus salvis loco et tempore [proponend] et inquisita super [h] si necesse fuerit veritate. Ita tamen quod pars altera ullo modo non poterit amicos vel arbitros partis alterius recusare et ab unaquaque parte duobus amicis vel arbitris ut dictum est electis ipsi arbitri vel amici secum evocabunt de consensu parcium alium fidedignum quintum arbitrum ad procedendum in premissis si illi quatuor et non [al] non possint in unam sententiam concordare vel in unum dictum ad quam diem jovis partes tenentur compare [suffic] apud Constancias unaquaque pars cum suis duobus arbitris quos ad hujusmodi negocium voluerit nominare. Et tunc cum partes coram eisdem arbitris presentes fuerint ipsi arbitri debent accipere ab unaquaque parte atachmentum sufficiens et partes ligare bene et fideliter quod ratum gratum et firmum tenebunt et habebunt dictum et ordinationem eorum vel majoris eorum partis de jam dictis. Et super hiis omnibus et singulis adimplendis dedit dicta domina plegios pro ipsa videlicet Rob. Vivier, Guill. Viteclin, Ricardum Collart, Gervasium dictum Blanche, qui coram nobis dictam dominam [sup] hoc pleigiarunt. Et ex parte dictorum religiosorum dati fuerunt super hiis plegii [Joh.] de Sancto Remigio et quidam alii. Quod universis et singulis sub sigillo nostro significamus. Valet. Datum anno Domini m° cc. septuagesimo. Die Sabbati predicta.